

1035. VII, 7-12 — Bula (*cópia da*) do Papa Júlio II, *Sincera devotionis affectus*, pela qual, a pedido de D. Fernando de Aragão, confirmava a bula do Papa Inocência VIII, pela qual tinha tomado sob a protecção da Sé Apostólica todos os conventos, pessoas e bens da Ordem de Calatrava, da regra de Cister, aprovando todos os indultos e privilégios concedidos pelos pontífices anteriores. Roma, 1511, Outubro, 13. — *Papel. 2 folhas. Bom estado.*

Julius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Sincere devotionis affectus fervensque devotio quam dilecti filii magister priores preceptores fratres et alie persone militie de Calatrava Cisterciensis ordinis illorum que familiares et servitores ad nos et romanam gerunt ecclesiam non indigne meretur ut votis illorum illis presertim qui eis devotionis fervore prodire conspiciamus ac per quae eorum comoditatibus utilitatibus quieti et amonitati consulitur quantum cum Deo possumus favorabiliter adjuvamus precipue cum catholicorum regum et principum id exposcit devotio.

Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Johannis Cisterciensis Cabilonensis diocesis aliorumque Cisterciensis ordinis monasteriorum abbatum et conventuum eorumdem felicitis recordationis Innocentio Pape viij predecessori nostro expositum fuit quod licet ipsi eorumque ac dicti ordinis monasteria tam virorum quam mulierum et alia religiosa loca et membra ac monachimoniales vassali et subditi et illorum servientes bonaque omnia jam dudum per plures romanos pontífices predecessores nostros sub ipsorum pontificum et apostolice sedis protectione recepti et recepta atque eidem sedi immediati et subjecti et subjecta necnon ab omni jurisdictione ordinaria exempti et exempta forent eisque concessum esset ut ad prestationem aliquarum colectionum vel subsidiorum et per locorum ordinarios vel alios pro tempore impositorum non tenerentur. *Tamen* desiderabantur pro majori eorum quieti premissis receptioni subjectioni et aliis predictis robur sue probationis adjici illaque omnia per eundem Innocentium predecessorem nostrum eis concedi idem Ino-

centius predecessor abbatum et conventuum predictorum in hac parte supplicationibus inclinatus receptionem subjectionem ac exemptionem predictas ac singulas desuper confectas litteras cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis auctoritate apostolica et certa scientia per quasdam aprobavit ac perpetuo et inviolabilis firmitatis robur obtinere decrevit supbens omnes et singulos defectus si qui forsitan intervenerant in eisdem et nichil hominus propotiori cautela monasteria loca membra et bona omnia hujusmodi tunc presentia et futura abbates abbatissas monachosmoniales vassallos subditos et servientes prefatos tunc et pro tempore existentes auctoritate et scientia similibus sub beati Petri et sedis ac sua protectione suscepit et ab omni jurisdictione superioritate correctione visitatione dominio et potestate archiepiscoporum episcoporum et judicum aliorum ordinariorum eorumque vicariorum et officialium quoruncunque necnon et asolutione subsidiorum etiam caritativorum procurationum colectorum et aliorum exactionum hujusmodi pro tempore imponendorum perpetuo prorsus eximit et totaliter liberavit ac eidem Innocentio predecessori et sedi immediate subiecit.

Itaque quod archiepiscopi et episcopi ordinarii vicarii iudices et officiales prefati etiam ratione delicti vel contratus vel rei de qua ageretur ubicunque committeretur delictum iniatur contratus aut res ipsa consisteret nullam in eos aut eorum aliquem et monasteria membra et bona predicta tanquam prorsus exemptos et exempta jurisdictionem correctionem dominium superioritates vel potestatem exercere aut excommunicationis suspensionis interdicti aut quasvis alias sententias censuras et penas promulgare presumerent aut possint vel deberent quoquomodo nec ipsi sic exempti coram illis aut ejusdem sedis delegatis aut subdelegatis nisi in litteris eis pro tempore directis de Innocentii predecessoris litteris hujusmodi specialis specifica et expressa ac de verbo ad verbum mentio fieret ad iudicium advocari aut quovismodo directe vel indirecte molestari possent vel deberent decernentes omnes et singulos processus sententias censuras et penas quos et quas per archiepiscopos episcopos ordinarios iudices vicarios et officiales predictos seu eorum aliquem contra abbates et alios exemptos ac monasteria et loca hujusmodi etiam exempta ut prefertur haberi vel promulgari necnon quicquid secus super hiis ab eis et alio quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contingerit irrita et inania nulliusque roboris vel momenti.

Cum autem sicut nuper nobis charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Aragonum et Sicilie rex illustris ac dicte militie de concessione et dispensatione apostolica in spiritualibus et temporalibus perpetuus administrator tam suo quam priorum preceptorum et fratrum militie predictorum nominibus exponi fecit licet magister priores preceptores fratres et alie persone ejusdem militie ipsorum monasteria domos et loca quecunque ab ipsius militie fundatione omnibus singulis privilegiis graciis prerogativis et exemptionibus per quoscunque romanos pontifices

et sedem eandem dicto ordini concessis tanquam membra et filii dicti ordinis semper usi et gavisii fuerint et de presenti gaudeant et utentur quare tamen ea que specialiter conceduntur majori custodiuntur venerationem ac majorem obtinent seu obtinere videntur roboris firmitatem Ferdinandus rex et administrator conventus priores preceptores et fratres et alie persone predicti (*sic*) cupiunt omnia et singula per dictum Innocentium predecessorem eidem ordini concessa magistro prioribus preceptoribus fratribus et servitoribus presentibus et futuris ac monasteriis locis et aliis domibus ejusdem militie specialiter concedi ac nobis dictis nominibus curavit supplicari ut omnia et singula premissa que in litteris dicti Innocentii predecessoris contenta sunt cum omnibus et singulis clausulis et derogationibus in eisdem litteris expressis dicto ordini bis terciensis tam in genere quam in specie concessa eisdem magistro prioribus preceptoribus fratribus et aliis personis servitoribus et familiaribus necnon monasteriis domibus et aliis locis militie hujusmodi specialiter et expresse concedere et indulgere ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica digneremur.

Nos igitur priores preceptores fratres et alias personas hujusmodi a quibusvis excommunicationis suspensionis interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a jure vel ab omne (*sic*) quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet inodati existant ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati omnia et singula premissa in litteris Innocentii predecessoris hujusmodi contenta cum omnibus et singulis clausulis et derogationibus in eis expressis dicto Cistercii (*sic*) ordini tam in genere quam in specie concessa eisdem magistro prioribus preceptoribus fratribus ac aliis personis familiaribus et servitoribus necnon monasteriis domibus et aliis locis dicte militie in omnibus et per omnia juxta formam litterarum Innocentii predecessoris hujusmodi auctoritatem apostolicam tenore presentium specialiter et expresse concedimus et indulgemus non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ordinis et militie predictorum juramento confirmatione apostolica vel quavis alia firmitatis roboratis statutis et consuetudinibus usibus et naturis ac omnibus illis que idem Innocentius predecessor dictis suis litteris voluit non obstando ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostre absolutionis concessionis et indulti infringere vel ei ausu temerario contrahere.

Siquis autem hoc atentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo decimo primo iij^o idus Octobris. Pontificatus nostri anno viij^o.

Eu Jorge Rodriguez escrivam da Camara del rey nosso senhor treladel esta bula de hum livro autorizado que estaa no cartorio do Convento de

Thomar da Ordem de Nosso Senhor Jhesuu Christo autorizado que veio do Convento de Calatrava bem e fielmente e o concertei com frei Fernam Lopez notairo apostolico e em verdade ho asinei de meu acostumado sinal apostolico que tal he e vay aselado com o selo do dicto convento.

(sinal do escrivão, com as iniciais G. N. R.)

Comcertey

Frey Fernam Lopez
(A. E.)